

alienis se et secularibus curis implicaret homo solitarius, eumque ad suam sibi cellam redire juberet; ille ad imperatorem intrepide: « Dicito, inquit, mihi, ô imperator, si filia alicujus essem, et sederem in conclavi, ut aedes curarem, atque deinde cernerem flamas in eas incidisse, aedesque paternas jam conflagrare, quid me facere oporteret? intus ne manere, et aedes incensas negligere, exceptareque donec flammæ impetus longius pervaderet, an relicto conclavi sursum, deorsumque cursitare, et aquam afferre, qua flammam extingueret? Atque hoc ipsum nos agimus, imperator. Etenim cum tu jam in patris nostri aedes flammam injeceris, nos circumseritamus, quod eam maturè possimus extinguere. » (1)

VERS. 3.— VOCAVITQUE ACHAB ABDIAM DISPENSATOREM DOMUS SUÆ. Abdias vir erat religiosus et pius, qui patriam legem adhuc retinebat. Quod in regis impij domo, et inter aulicos impios conservasse tandiù planè prodigii instar est, maximè cùm regie domus dispensator esset, quem locum ille tenere non solet, qui non se totum regum moribus et votis attemperat. Hic autem usque adeò religionem patriam, et ipsius amatores complexus est studiosus, ut contra regis voluntatem, et reginæ Jezabelis inflammatum odium, quo veri Dei nomen et cultum, sublati de medio prophetis, abolere voluit, servarit tamen centum prophetas, illosque in tantâ rerum angustiâ abunde sustentârit, et, ut est verisimile, ex regione penu, cuius ipse dispensator erat. De hoc Abdiam quidam è nostris multa cum Hebræis mediantur interpres, nempe fuisse unum ex duodecim prophetis, qui quarto annumeratur loco, quâ de re nos in illius Commentariis plura proleg. 1. Quòd si ita est, ducentis propè annis antiquior fuit alius qui sub hoc nomine scriptis vaticinia sua prodiderunt: tantum enim temporis intercessit inter Achab et reges alios quorum ætate floruerunt alii. Hoc minus

(1) ERAT AUTEM FAMES VEHEMENS IN SAMARIA, in metropoli scilicet, ac per totum regnum sœviens. Samaria enim usurpatur non raro pro Israelitarum ditione universâ. Credibile est autem sicutatem hanc et famem nonnisi in regno Achab, vel ut sumnum, in vicinis locis regnasse. Porro è finitimis regionibus triticum deducebatur, at mox sese offret Achabus querens pascua et foenum jumentis potius quam hominibus frumentum; idcirco scilicet, quod facilis esset hominibus ratio quâ sibi aliunde necessaria procurarent. Alioquin enim nunquam regnum Israeliticum toto triennio sine messibus substitisset. (Calmet.)

est improbable; illud verò difficultius, maratum fuisse illius Sunamitidis, cuius filium excitavit Eliseus lib. 4 Reg. c. 4. Quod refert ex Hebræorum sententiâ Lyra, in lib. 4 Reg. De quo nos aliquid in nostris Abdiæ et Jonæ Prophetarum Commentariis in prolegomenis. Ubi observo pro Sunamitide positam esse Sarephthanam viduam, et hujus conjugem existimari Abdiam, et licet id in erratis animadversum sit, tamen hujus rei lectorem admotum esse volo, qui neque semper errata consultit, cùm tamen maximè interdùm expediat, neque omnes libri cum erratorum notis à bibliopolis distrahanter.

Hic porrò Abdias discipulus existimatur Eliæ, ut docet Joannes episcopus Hierosolymitanus de Institutione monachorum, c. 15, t. 7 Biblioth., ubi etiam tradit esse illum quingenarium qui tertio loco missus fuit ab Oziâ, quem supplicem audivit Elias, fecitque ne illum ignis è cœlo delapsus absumeret, cujus beneficij memor relictâ aulâ ad solitudinem se contulit, et totum se in Eliæ tradidit disciplinam. Quod tenent complures alii, et in nostris Comment. in Abdiam diximus, proleg. 2. (1)

VERS. 5.— VADE IN TERRAM AD UNIVERSOS FONTES AQUARUM, ET IN CUNCTAS VALLES, SI FORTE POSSIMUS INVENIRE HERBAM. Ex hoc loco colligere posse videor in eâ tantum parte Israëlitidis regionis, quæ ad Achab pertinebat, contingisse triennalem famem ex agrorum siti. Neque enim egressus esse dicitur Achab, et illius dispensator Abdias, ut frumenta quærerent, quia illa coempta pretio ex viciniis urbibus, quas grandis illa sitis agrorum non tetigerat, comportari poterant; sed quia in alienas regiones pabulandi atque aquandi gratiâ,

(1) VERS. 4.— TULIT ILLE CENTUM PROPHETAS, ET ABSCONDIT EOS. Abulensis putat prophetas hosce fuisse prophetas propriè dictos. Planius Lyran. et Cajetan. censem eis fuisse viros religiosos, qui abdicatis curis terrenis, seorsim simul habitantes, divinis laudibus insistebant, ut faciunt jam cenobite. Simili modo legimus, 1 Reg. 19, 20, chorum prophetarum non tantum vocali cantu, sed et musicis instrumentis unâ cum Samuele et Saûle laudasse Deum. Sic Heman et Idithun cantores dicuntur prophetasse, id est, cecinisse psalmos in citharis et psalteriis, 1 Paral. 25.

(Corn. à Lap.)

VERS. 4.— PAVIT EOS PANE ET AQUA, id est, illis suppeditans, quod vitam tolerarent, cibos et potum. Vel verbis textus inhærendo: Pavit eos solum pane et aquâ, ut alerentur in extremis illis famis, quod redacti erant angustiis. Fas est utique in his rerum articulis violare principum imperia, cùm Deo potius quam hominibus parendum sit.

(Calmet.)

equi ac reliqua jumenta transportari non poterant, aut non sine magno suo periculo, aut rerum domesticarum dispendio, in suis provinciis fontes et pabula requirunt, ubi quod jumentorum erat reliquum conservarent. Quæ cura tanti putabatur esse momenti, ut illam rex ipse suscepit, quasi in illis rerum angustiis suæ majestati non indecoram, et cum illo communicarit cui domus sua dispensationem crediderat, quemque ex omnibus sollicitum magis, magisque fidem fuerat expertus.

VERS. 9.— QUID PECCAVI, INQUIT, QUONIAM TRADIS ME SERVUM TUUM IN MANUS ACHAB? Egressus fuerat Elias juxta Domini præceptum è Sarephthano hospitio, ut occurreret Achab, sed incidit in Abdiam, qui non multò ante, ut appareat, in eo pabulandi studio digressus fuerat à domino suo, cui jubet ut ad regem redeat, illique enuntiet adesse Eliam. Expavit ad hoc mandatum Abdias, cùm videret in eo non dubium capitum periculum proponi; quod quale sit, dicemus statim.

VERS. 10.— NON EST GENS, AUT REGNUM; QUO NON MISERIT DOMINUS MEUS TE REQUIRES. Non poterat majori studio requiri, quâ à rege quæsusitus est Elias, cùm omnes regni sinus et latebra perscrutatus fuerit; et cum à nemine prorsus inventus esset, adjuraret omnes ut interpositâ jurisjurandi religione certius constaret nullibi gentium reperiri, et nequicquam ab ullo post hoc esse quærendum, aut jurejando adegit, ut quicunque invenerit Eliam, illum comprehendenderet, et ad se deduceret. Quod etiam finitima regna promissoe videntur, tum quia aliqui cum Achab intercedebant usus et officia; tum etiam quia timebant ne sibi aliquid mali contingere ex vicino malo. Ita Lyra et Abulensis quæst. 9. Quem ad finem Achab investigarit Elias, dubium est. Quidam dicunt quæsusitus esse à rege, non ut illum occideret tanquam publicæ rei inimicum, quasi siti voluerit et tibi ingentem illum populum consumere, cùm dare potuerit de cœlo pluviam, sicut prius ademerat. Dixerat enim supra c. 17, v. 1: Vivit Dominus, etc., si erit annis his ros, et pluvia, nisi iuxta oris mei verba. Cùm autem videret Achab prohibitam esse tamdiù pluviam, sicut minatus fuerat Elias, futurum etiam credit, ut ad ejus imperium pluvia deflueret, et levaretur fames. Ita putat Abulensis q. 8. Alii expetitum dicunt Eliam ad mortem tanquam acerbissimum rei communis hostem, qui ad extremam miseriam adegisset populum, maximè urgente Jezabele,

quæ Prophetas Domini animo insectabatur hostili et illorum plurimos occiderat, et extinxisset complures alios, nisi illos tyrannico furori Abdiæ sedulitas et fides subduxisset. Ita tenet Hugo et Augustinus lib. 2 de Mirab.: « A Domino, inquit, Eliæ dicitur, ut in speluncâ torrentis Carith se absconderet, quatenus, et tempore famis haberet alimoniam, et persecutorum avidè se quærentium rabidam effugeret iram. Quam ego sententiam libentius amplector. Neque dubium sui consilii atque animi argumentum dedit Achab, qui non mollibus verbis excepti Eliam, qualibus supplices alios salutare solent, sed duris et contumeliosis, ita ut facile videas spiritus intus latere minaces, qui rabiem anhelarent et cedem, atque compressum diù acerbatis venenum evomerent. Tunc, inquit, es, qui conturbas Israel? »

VERS. 12.— CUMQUE RECESSERO A TE, SPIRITUS DOMINI ASPORTABIT TE IN LOCUM QUEM EGO IGNORO. Ex hoc loco quivis facilè sibi persuaderet non semel à Spiritu raptum fuisse Eliam et ex hominum oculis ereptum: neque enim aptè et opportunè hæc dixisset Abdias, nisi aliquid simile aut vidisset ipse, aut audiisset antea. Quod etiam indicant Prophetæ illi qui Eliæ atque Eliseo fuere familiares, qui nisi ejusmodi aliquid cognovissent, non dixissent Eliseo, postquam ab illorum oculis sublatus est Elias, 4 Reg. c. 2: Ecce servi tui sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire, et quærrere dominum tuum, ne forte tulerit eum Spiritus Domini, et projeciterit in uno montium, aut in una vallium. Ita putat Abulensis q. 10, et statim q. 11, et q. 12, licet verisimile putet spiritum illum, à quo raptus dicitur Elias, esse angelum à quo non aliter sublatus censerit potest, quâ Habacuc, quando Danieli ad Babylonem usque detulit cibum; tamen eò magis propendet, ut existimet spiritum istum ventum fuisse vehementer: seu turbinem, qui aliquando abripuit prophetam, et ab hominum oculis alio procul præcipitem abduxerit: quod ideo putat, quia sumptâ, ut appareat, ex aliis Eliæ raptibus conjecturâ, dixerunt prophetæ ad Eliensem de Eliâ: Ne forte tulerit eum Spiritus Domini, et projeciterit in uno montium, aut in una vallium. Projicere, inquit, non est angelii, qui potius depuneret quâm projiceret Eliam; sed venti, qui impetu aliquo absque consilio aliquid circumagit et rapit, et ibi relinquit temerè, ubi primùm impetus sedatur et frangitur. Quod confirmat alius raptus Eliæ, qui fuit omnium

extremus: nam lib. 4 Reg. c. 2, v. 11, ubi legimus: *Ascendit Elias per turbinem in caelum.* Et Eccles. 48, v. 15: *Qui receptus est in turbine ignis in curru equorum ignororum.* In hanc ego sententiam libertius descendō. (1)

VERS. 17. — TUNE ES ILLE, QUI CONTURBAS ISRAEL (2) ? Haec verba non sunt ejus, qui ad alicujus clementiam supplex accedat, ut aliquid sibi necessarium obtineat, sed illius qui adhuc compressum servat odium, et aliquid secum meditatur hostile. Conturbatum esse Israelem, et urgente fame compulsum exire domo, et ab alienis quærere necessaria vita subsidia, Eliæ quasi sui generis inimico adscribit Achab, neque quā erat in Eliam offensione abstinuisse manus à cæde, vel injuriā, nisi Deus, cuius tunc parebat Elias imperio, aut sedasset animum, aut metum, atque languorem indidisset; sicut antea Esaū fratri, et socii Laban aduersus Jacob inflatum furem temperasset.

SED TU, ET DOMUS PATRIS TUI. Indidit Deus Eliæ frontem sicut adamantem et silicem, ut postea Ezechiel cap. 3, v. 9, ut duram et adamantinam frontem adamantinæ inimicorum fronti adversam opponeret. Quare non minus constanter respondet regi, quām à rege in ipsum convicia jactantur liberè. Nec dubitat dicere propter ipsius ac parentis impietatem

(1) VERS. 13. — CUM INTERFICERET JEZABEL PROPHETAS DOMINI. Contigit id facilè quo tempore Elias latebat in secessu, et per primos ariditatis annos; tunc autem Jezabel prophetas Domini studiosè perquiriens, neci omnes tradidit. Quām multos autem peremerit, argumentum capere licet ex illis quos Abdias solus subduxit è discriminē. Erant illi vitæ genere et professione à reliquo populo distincti, ac potissimum labore manuum studio ac ministerio, et laudibus Domini occupabantur. Non omnes quidem divinitus afflabantur, sed parabant prophetis quos superiori lumine afflatis esse omnes nōrānt. Sal erant terræ, et lumen regionis, fulerum religionis, et propagnaculum legum diuinarum adversus crimina et licentiam cùm principiis, tūm populū. Veram religionem penitus in Israele impia Jezabel subversa, nihil non movit, ut cæderet prophetas, viros nempe qui columnæ essent ac firmissimum religionis monumentum.

(Calmet.)

(2) Saint Ambroise témoigne que ce qu'on voyait alors n'était qu'un signe extérieur de l'état des âmes, et que si le ciel était fermé pour ne point donner de pluie sur la terre, il l'était encore plus à l'égard du cœur des hommes qui, bien loin de s'élever en haut pour y révéler le Créateur, se rabaissoient jusqu'à adorer du bois et des pierres. *Clausum cælum dictum est temporibus Elias, èo quod nemo ad cælum oculos erigebat, nemo ejus auctorem venerabatur, sed ligna et lapides adorabant.* (Sacy.)

turbatum esse Israelem, et ad extremum penè statum deductum, cùm veram religionem abjicerit, et gentilicos mores, et barbaram impietatem induxerit. Quod sanè verum fuit: nam si ad alienos deos non transfugisset Achab, et subjectos sibi populos secum non traduxisset, non audiisset à prophetā minacem orationem, neque illius pondus esset expertus.

VERS. 18. — VERUMTAMEN NUNC MITTE, ET CONGREGA AD ME UNIVERSUM ISRAEL. Non dubium quin inter regem et Eliam longior esset institutus sermo, et hinc atque inde objectæ atque depulsæ criminaciones, et orta longa utrinque de religione concertatio. Postquam eò devenit est ut in eum locum cui tunc, opinor, proximè considerant, ad montem videlicet Carmelum, convocaretur universus Israel, et quotquot essent lucorum sacerdotes, Baalis sacrificuli, et prophetæ, et ibi spectante populo honesta iniretur et legitima ratio quæ religionem probaret, aut argueret levitatis quam ipse, qui tunc erat in eâ populorum frequentiâ solus aut alii omnes venerarentur et colerent. Quod ideò, ut opinor, à rege non nimis sibi benevolo, ac reliquæ multitudine impetrare potuit, quia non aliter dandam sibi desideratam tamdiù de cœlo pluviam sibi persuaserant. Statim igitur rex convocavit Israelem, et Baalis sacerdotes, et prophetas ad conductum locum. Neque parùm videtur interjectum spatii, cùm latè essent sacerdotes, prophetæque dispersi, et ex omnibus tribubus essent congregandi non pauci. Interim verò existimo in Carmelum secessisse prophetam, ut rem totam commendaret Domino, ubi ipse forsitan orárat sèpè ferventer, et plurimas desuper illustrations acceperat. Aut igitur eā de causâ Carmelum elegit, quasi futuri certaminis nobile stadium, aut quia Prophetas veros, suosque discipulos ibi interficerat impia Jezabel, cùm ibi commune suum haberent diversorium, et quia non occultè pietati vacabant, Jezabelis sedulitatem, et illius ministrorum oculos latere non poterant. Voluisse itaque videtur Elias auctorare ibi et commendare religionem veram, ubi effuso tot Prophetarum sanguine, illam Jezabel exauktorare, et damnare voluerat, ut ibi impiorum prophetarum sanguinem profunderet, ubi piorum viderat esse profusum. (1)

(1) VERS. 19. — PROPHETAS BAAL... PROPHE TASQUE LUCORUM. Hi seductores erant, prophétiam et divinum ostium ementiti, quanvis nonnisi malo spiritu turgerent. Exteriorem veri prophetæ habitum imitati, profano idolorum cultui serviebant. Horum verò genera hic

VERS. 21. — ACCEDENS AUTEM ELIAS AD OMNEM

POPULUM, AIT: USQUEQUÒ CLAUDICATIS IN DUAS PARTES (1). Cùm jām, quod optabat Elias, maximè esset consecutus, egit ad populum audacter, coarguitque instabilitatis atque perfidiæ, quòd lubricis incederet gressibus, neque in alio certo loco stabili hæreret vestigio, cùm modò Deum verum colere se profiterentur, et tamen ad Achab et Jezabelis vota, ad Baalis aras supplices accederent. Hoc autem est in duas partes claudicare, dūm huc atque illuc nutante gressu corpus etiam totum, et præcipue caput dextrorsum ac lœvorum inflectitur. Tales tunc erant Israélitæ, qui placere cùm studebant Jezabeli, neque à patriâ religione defecisse vellent, et à suis in caput suum justum odium confiare, à Baalis arâ ad Dei se confrerabant altaria, et ab iis rursus se ad Baalis aras referebant. Ita dūm student utriusque religionis esse participes, utriusque potius se profiterentur expertes. Hi sunt de quibus Paulus 2 Cor. 6, v. 15: *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiae cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? aut quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infidelii?* Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Quo loco Paulus ad hanc Eliæ reprehensionem spectasse videtur. Latinus hoc Hebræorum proverbium alter enuntiat, *dubius sellis sedere.* Quod faciunt qui cùm ex usu suo vident futurum esse, modò se ad hanc, modò ad illam partem attemperant, neque tam aliorum voluntati, quorum aucupantur gratiam, quām suæ commoditatì serviunt.

Scriptura distinguit duo: alios scilicet appellat prophetas Baalis, numero quadrangentos quinquaginta; iidemque tantum cum Achabo in Carmelum convenerant, erantque facile regis prophetæ; alios qui agebant prophetas lucorum, vel deæ lucorum, vel Astartes; atque illis potissimum Jezabel favebat. Convivas id generis homines habebat regina, tanquam familiares sibi prophetas. Numero erant quadrangenti. Conventus autem hic habitus est in Carmelo, notissimo profanis monte, ex diurno Apollinis, qui idem est Baal, vel sol, cultu. Stabat ibi tunc ara huius numini consecrata, et reliquæ altaris vero Domino olim dicati. (Calmet.)

(1) Rien n'est plus en abomination devant Dieu que cette alliance que l'on prétend faire même dans la religion chrétienne, non pas du culte extérieur des idoles avec celui de Jésus-Christ, ce qu'on ne souffrirait pas, mais d'une autre espèce d'idolâtrie plus subtile, qui rend l'homme adorateur de l'argent, et idolâtre tant du monde que de lui-même, en sorte qu'il ne donne à Dieu que l'extérieur et l'apparence, et consacre au démon du siècle l'amour de son cœur.

(Sacy.)

ET NON RESPONDIT EI POPULUS VERBUM. Compressit forsitan loquendi libertatem injectus à prophetâ pudor: neque enim conscientius animus habebat, quid prophetæ verbis honestum opponeret. Vel illa fuit dicentis auctoritas, ille spiritus, illud orationis pondus, ut turbat animos, fauces præcluderet, neque ullam relinqueret loquendi facultatem. Est enim illud experientiâ cognitum, et rationali naturæ consentaneum, ut pudor et objecti sceleris conscientia elingues reddant homines. De hoc pudore est illud Job. c. 5, v. 16: *Iniquitas contrahet os suum;* et Ps. 106, v. 42: *Omnis iniquitas oppilabit os suum.* Micheas 7, v. 16: *Videbunt gentes, et confundentur, ponent manum suam super os suum.* Sanè ille cui Dominus, Matth. c. 22, v. 12, exprobrarat quòd absque nuptiali ueste in nuptiale convivium esset ingressus, obmutuisse dicitur, quia nimis pudor, et justa regis indignatio fauces obstruerant.

VERS. 3. — ET AIT RURSUS ELIAS AD POPULUM. EGO REMANSI PROPHETA DOMINI SOLUS; PROPHETÆ AUTEM BAAL QUADRANGENTI ET QUINQUAGINTA VIRI SUNT (1). Postquam obmutuisse populum universum vidit Elias, neque respondisse ullum ad objecta de religione verbum, ipse rationem ostendit, quā quisvis intelligat, ultra sit vera, falsa religio, cuius examen in sacrificio atque oratione posuit. Et ne quis personarum contentione ac viribus, et non potius verâ sanctitate judicium, aut aliquo artificio elusum esse putet, partes aliis superiores concedit, ita ut aliis omnibus rebus præterquam religionis professionis et sanctitate vincant. Primùm se magnæ prophetarum multitudini solum oppo-

(1) Elie dit au peuple: Je suis demeuré tout seul d'entre les prophètes du Seigneur; les prophètes de Baal sont au nombre de quatre cent cinquante. Qu'on nous donne deux bœufs, qu'ils en choisissent un pour eux. Toute la suite de cette histoire s'entend aisement, et il est visible qu'Elie, rempli de l'Esprit de Dieu, fit cette proposition à tout le peuple, pour le convaincre par une expérience publique et sensible de la faiblesse de ce faux dieu qu'ils adoraient avec le Dieu d'Israël. Le feu du ciel qui consume la victime est la figure de la charité. Il n'y a que les sacrifices qui s'offrent dans la vraie religion qui méritent d'être consumés par ce feu divin, mais on n'ose dire ce qu'on ne peut dire sans douleur, que beaucoup de ceux qui sacrifient au vrai Dieu dans l'Eglise catholique, se rendent indignes d'attirer sur eux-mêmes la grâce du ciel, quoique Jésus-Christ, qui est lui-même le prieur et l'hostie, ne laisse pas d'opérer et d'offrir un sacrifice agréable à Dieu et de suppléer ainsi au défaut de ses ministres.

(Sacy.)

nit : ipse enim solus è veris sanctisque prophetis in eo congressu reperiebatur. Deinde jubet, ne qua in sacrificiis esse posset fraudis, calliditatisque suspicio, ut ipsi eligant duos bœves suo arbitratu, et ex illis eligant quem magis suis votis atque rationibus opportunum esse putaverint, quorum alterum ipsi sumunt, et sacrificali ritu in frusta concidunt, suppositisque lignis sine igne superimponant. Quod item ipse faciet; tunc autem ille verus Deus existimabitur, qui preces audierit supplicantis, et emissu desuper igne oblatum sibi sacrificium combusserit. Et eodem consilio, cùm de aquâ nihil inter disceptantes de religione convenisset, neque ab aliis aliquid aquæ super sacrificium et ligna foret infusum, quominus res suspicioni pateret, non solùm super sacrificium et altare, sed etiam latè circùm aquarum plurimùm induxit. Quod divinæ ejusdam solertia, et magnæ in divinâ promissione fiduciae argumentum fuit. (1)

VERS. 24. — DEUS, QUI EXAUDIERIT PER IGNEM, IPSE SIT DEUS. Deus exaudire dicitur per ignem sacrificantis, atque orantis vota, precesque, cùm missu desuper igne consumit, et resolutum in fumum, ac sursum elevatum in odorem suavitatis admittit, quod quia nimis erat notum, nemo de populo toto, quem rex evocaverat, ignorare poterat, cùm illustrissimis antiquâ recentique memoriam abundantem exemplis. Gen. 4, v. 4 : *Respxit Dominus ad Abel, et ad munera ejus.* Quo Patres communiter exponunt significatum esse missu desuper igne sacrificium Abelis Deo placuisse. Unde Theodotion reddidit ἐντύπεσσι, id est, inflammavit, seu cremavit, et Jud. 6, v. 21, ignis à Deo missus, et emicans repente de petrâ Gedeonis sacrificia consumpsit. Idem accidit Aaroni Lev. 9, v. 24; et Davidi 1 Par. c. 21, v. 26; et non longè ab hoc tempore sacrificium à Salomonē oblatum cœlestis flamma consumpsit, 2 Par. 7, vers. 1. Quare populus, licet à Jezebel, ejusque marito plus satis uxorio deceptus, illorum sacrificiorum memoriam non abjecebat. Atque ideò lubens propositam ab Eliâ conditionem admittit, dicitque, *optima propositio*, quia non videbatur honestior ulla ratio, quæ melius illud de religione judicium definiret.

(1) VERS. 23. — ET EGO FACIAM ALTERUM BOVEM, faciam, id est, sacrificabo. Summum enim et nobilissimum opus, quod facit homo, est sacrificium. Sie Virgilius :

*Cum faciam (id est, sacrificabo) vitulâ pro frugibus, ipse venito.*

(Corn. à Lap.)

VERS. 26. — QUI CUM TULISSENT BOVEM, QUEM DEDERAT EIS FECERUNT. Elegerunt sacerdotes, prophetæque Baal bovem, quem suis consiliis magis censebant opportunum. Quem libenter illis propheta concessit, et illi patro ritu imposuerunt altari, feceruntque reliqua quæ ad impura illa sacra lex sacrificialis, et consuetudo prescribit. *Facere verbum est sacrificale*, quod idem valet atque *immolare*, seu ad aram disponere legitimè, quod verbum Scripturæ sacre familiare, ut habes in hoc c. supra, v. 13. Lev. 15, v. 15, et 23, v. 19, et alibi millies. Quâ de re nos pluribus in nostris Commentariis super Ezechielem c. 43, ad illud v. 25 : *Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie.* Apud Græcos sanè πέντε, et δέκα non solùm facere, sed etiam sacrificare significant, quod lib. 14 observavit Athenæus. Quod apud Latinos inusitatum non est : hunc illi tribuit usum Virgilius eclog. 3 :

*Cum faciam vitulâ pro frugibus, ipse venito.*

Hic suo more nugantur Hebrei, dicunt enim cum magistro suo Rab. Salomone (ut dicit hic Lyra, et Abulensis q. 27) bovem, quem sibi elegerunt qui pro Baale certabant, fugisse ab illis, et ad Eliam se recepisse, quasi indignatur, aut dedignaretur immolari dæmoni, et illius aram ipsius imbui et consignari sanguine, sed nihilominus illis ab Eliâ fuisse traditum. Quod si verum fuisset, ad rem moralem non parùm habuisset momenti; sed evangelicus doctor ad instruendam utiliter concessionem Hebræorum non indiget figmentis et nugis.

TRANSILIEBANTQUE ALTARE QUOD FECERANT. Matutinum tempus antagonistis suis concesserat Elias, quia magis sacrificiis idoneum, cùmque omnis in orando, atque clamando adhiberetur contentio, neque ulla appareret Baalis vox, nullus motus, aut sensus, neque tanto studio responderet Baal, magis quâm saxea moles, aut lignea, juxta patris ritus transiliebant altare inter dissectas victimæ partes; quasi ipsi quoque, dum altare condescendunt, vellent esse victimæ, aut victimas se esse è ratione simularent, aut certè eo frequente numerosoque transultu deum suum placarent, aut etiam repugnantem impellerent. Fuit autem modus ille sacrificandi usitatus gentilibus, qui vario incessu motuque deorum suorum festos obibant dies, aut sacra peragebant, quales fuerunt Corybantes, Salii, Luperci et ejusdem farinæ complures alii. Sane idem fecisse videntur viri Israelitæ in eo maximè sacrificio, quod ad firmandum pactum adhibetur. Jeremiæ cap. 34,

V. 18 : *Vitulum quem conciderunt in duas partes, et transierunt inter divisiones ejus, et idem repetitur v. 19.*

VERS. 27. — CUMQUE ESSET JAM MERIDIES, ILUDEBAT EOS ELIAS (1). Jam transactum erat matutinum tempus, quod fuerat ex pacto Baalis sacrificiò definitum; et cùm omnes animi ac corporis nervos ad illud opus intendissent prophetæ, neque sudando, atque anhelando profecissent hilum, eos amaro quodam scommate subsannabat Elias, dicebatque ut quâm maximè possent voce contendenter, ut deum

(1) *Elie commence à leur insulter, en disant : Criez plus haut, car votre dieu Baal parle peut-être à quelqu'un, etc. On ne peut blâmer cette railleur du prophète du Seigneur, et on doit plutôt la louer, comme étant due très-justement, dit saint Grégoire, à l'extravagance de ces faux prophètes de Baal, qui abusaient de l'ignorance des peuples pour les engager à adorer des idoles inanimées. Dieu même au commencement du monde usa d'une espèce d'insulte et de railleur à l'égard d'Adam, après qu'il l'eût offensé, en lui disant ironiquement qu'il était devenu semblable au Seigneur par la connaissance du bien et du mal. Et un savant homme de l'antiquité (Tertullien) témoigne qu'il appartient proprement à la vérité de se rire et de se jouer de ses ennemis, parce qu'elle est assurée de la victoire; qu'il faut seulement qu'elle prenne garde que sa railleurie ne soit pas indigne de sa gravité; mais que partout où elle peut l'employer dignement, elle le fait utilement. Congruit veritati rideare, quia lætans; de æmulis suis ludere, quia secura est. Curandum planè ne risus ejus rideatur, si fuerit indignus. Ceterum ubicunque dignus risus, officium est.*

Que si jamais, selon cet ancien, la vérité a pu dignement se railler de ses ennemis, c'a été lorsqu'un prophète, rempli de zèle pour la gloire du vrai Dieu, comme était Elie, ayant fait à ses imposteurs qui trompaient le peuple, un défi public par lequel il les obligeait de prouver la divinité de l'idole de Baal, voulut leur faire sentir d'une manière plus vive leur extravagance, en leur reprochant avec insulte que leur Dieu dormait, et détrôner en même temps plus sensiblement ceux qu'ils avaient engagés dans leur erreur. Jamais le Dieu des chrétiens n'est endormi. Et si les Apôtres, s'étant vus autrefois dans un grand péril au milieu d'une tempête, se pressèrent de réveiller Jésus Christ, afin qu'il les empêchât de périr, il les accusa de manquer de foi, et leur fit connaître par ce reproche qu'il veille toujours, mais que c'est souvent la foi de ses serviteurs qui est endormie et qui a besoin d'être excitée. Ainsi, lorsque l'Ecriture nous témoigne que les Saints ont crié vers Dieu, et qu'elles nous porte aussi nous-mêmes à implorer avec cris sa miséricorde, elle veut nous faire entendre seulement que Dieu n'écoute que ceux qui le prient avec ardeur, et qu'il se rend sourd à la voix des autres que leur tiédeur rend indigènes d'être exaucés.

(Sacy.)

suum dormientem excitarent, aut tardantem acuerent, aut distractum ad alias curas ad suum opus et sacrificium revocarent. Sic Elias insultabat prophetis, ut verè cœcis et amenib; et Baalem quasi truncum et saxum, gravi exagitabat, liberoque convicio.

VERS. 28. — INCIDEBANT SE JUXTA RITUM SUUM CULTRIS ET LANCEOLIS, DONEC PERFUNDERENTUR SANGUINE. Hoc erat extreum quod offerre sacerdotes juxta sacrificalem ritum poterant, ut optata consequerentur : quasi enim infirmi essent clamores, et voces, et laceratæ victimæ ad inflectendum deum, ut postulata concederet, rem aliter tentant, novas admoveant machinas, neque alieno jam litant sanguine, sed suo. Quare non aliter in se quâm in victimas seviunt, cultris se incident et secant, lanceolis se compungunt, donec suo toti sanguine commadeant. Miserabile planè spectaculum videre sacerdotes suo more infulatos, rubentes, atque stillantes sanguine, rugientes ad deum inanimatum et surdum, à quo nihil magis excipiuntur clementer et benignè, quâm à silice, aut à rudi atque sylvestri stipite.

Notum est gratum esse dæmoni quicquid ab humano corpore expressum, aut desectum est, neque quicquam magis amat in sacrificiis, quâm hominum aut abscissa membra, aut libatum sanguinem. Ita Isidorus citatus ab historiâ Scholasticâ in hunc locum. Et quidem humano sanguine delectari dæmones, et humanas sibi victimas exigere, docent regiones ævo nostro ultra oceanum ab Hispanis aperte, in quibus passim immolantur homines, et illorum sanguine occurunt ubique obviae rubentes aræ. Gentiles olim aut seipso, aut filios, aut etiam hospites immolabant diis quos sibi placatos et tutelares esse volebant, ut probant Dianæ Tauricæ belluina sacra, et alia his quâm similima, quæ vide apud Alexandrum Neapolitanum lib. 6 Genial. cap. 26; et ibi Tiraguelum, et Laetantium lib. 1 de falsâ Religione cap. 21. Sed quod proprius facit ad hæc sacrificia, in quibus sacerdotibus non alieno litant sanguine, sed suo, est sacrificium quod offerre consueverunt antiqui quibusdam diis quos sibi voluerunt reddere propitos. De quo Laetantius loco nuper citato, cuius verba hic referam. Nam cum egisset de Idaæ matris execrabilibus sacris, in quibus sacerdotes seipso mutilato corpore turpiter effeminant, de Virtutis, seu Bellonæ sacerdotibus dicit : « Alia Virtutis (sacrificia), quam eamdem Bellonam vocant, in quibus ipsi sacerdotes non alieno, sed suo